

EXERCITATIO HISTORICO-IVRIDICA
DE
PRIVILEGIO
PEREGRINORVM FORENSI
QVOD GERMANICE
Sas Gaste re off
VOCATVR
QVAM
PRAESIDE
DANIEL GRALATH
I. V. D. EIVSD. ET HISTOR. PROFESS. P. O.
ET ATHEN. INSPECTORE
IN AVDITORIO MAXIMO
AD D. X. AVG. A. R. S. clobccclxxx.
PVBLICE DEFENDET
BALTHASAR IACOB GRODDECK GED. I. V. C.
STIPENDII FISCHERO - FERBERIANI ALVMNVS
ADVERSUS OPPONENTES
GOTTLIEB HVFFLAND GED. I. V. C.
GOTTFRIED ERNST GRODDECK GED. S. L. C.
CHRISTIAN GOTTLIEB DE SCHROEDER GED. I. V. C.

GEDANI,
TYPIS DAN. LVDOV. WEDEL. MAGNIF. SENATVS
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI,

INCLYTAE
REIPUBLICAE GEDANENSIS
PER-MAGNIFICO SENATVI

PER-ILLVSTRI

S. R. M. BVRGGGRABIO

PER-MAGNIFIC*is*
MAGNIFICIS GENEROSIS
MAXIMEQVE STRENVIS

PRÆSIDI
PRO - PRÆSIDI
PRÆ - CONSVLIBVS

CONSVLIBVS

PATRIAEC PATRIBVS OPTIMIS
ET
SVMMO SPLENDORE CONSPICVIS

X 2

PRÆNOBILISSIMIS
AMPLISSLIMIS, CONSVLTISSIMIS
VTRIVSQVE CIVITATIS
DICASTERIORVM
MEMBRIS
SENIORIBVS
CON-SENIORIBVS
ASSESSORIBVSQVE
RELIQVIS
IVSTITIAE ARBITRIS
GRAVISSIMIS ET LONGE
MERITISSIMIS

SVMVM REVERENDO
CONSVLTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,
GYMNASII ILLVSTRIS
PROFESSORIBVS
PRAECEPTORIBVS SVIS AC FAVTORIBVS OPTIMIS;
NOBILISSIMIS SPECTATISSIMIS
DOMINO
CAROLO RENNER
DOMINO
DANIEL GOTTLIEB
WEICKHMANN
SECRETARIIS REIP. GED. OPTIME MERITIS;
NOBILISSIMO SPECTATISSIMO QVE
DOMINO
IOANNI RENNER
QVARTARVM MAGISTRO
ET AD AEDEM DIVAE MARIAE ANTISTITI
SOLENTISSIMO
ET
PLVRIMVM REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO
ABRAHAMO GRODDECK
VERBI DIVINI MINISTRO APVD GOTTSWALDENSES
IN INSULA STVEBLAVIENSI VIGILANTISSIMO
TVTORIBVS SVIS GRATISSIMAE MENTIS
CVLTV PROSEQVENDIS
NOBILISSIMIS ET SPECTATISSIMIS
AD AEDEM DIVAE
MARIAE ANTISTITIBVS,
MAECENATIBVS
PATRONIS ATQVE FAVSORIBVS
MAXIME DEVENERANDIS ATQVE COLENDIS

DISSERTATIONEM HANC IN SVI
STVDIORVMQVE SVORVM
COMMENDATIONEM SVB-
MISSE DAT, DICAT, CON-
SECERAT

TANTORVM NOMINVM
CVLTOR DEVINCTISSIMVS
BALTHASAR IACOB GRODDECK.



EXERCITATIO HISTORICO-JURIDICA DE PRIVILEGIO PEREGRINORUM FORENSI QUOD GERMANICE das Gastrecht VOCATUR.

Præcognita
quibus instituti ratio exponitur.

Ex historia generis humani ab antiquissimis inde temporebus compertum habemus, quod innata quædam et insita hominibus indoles, sive eadem solius naturæ viribus impressa, sive accidente educationis moderamine propagata fuerit, luculentissimum semper in mores et consuetudines humanas

A

manas

manas, æque ac in legum et rituum conditionem sibi vindicat
 verit influxum. Enimvero integrarum nationum exempla te-
 flantur, climatis et aëris temperamenta non minus quam nutri-
 mentorum et aquarum differentias, ad corporis structuram et
 valetudinem pariter ac ad mentis ingenique indolem forman-
 dam permultum ubique contulisse. Ab ipsa territoriorum fa-
 cie, naturale quoddam discriminem arcessendum esse videtur: haud
 parum enim discrepare solent insularum incolæ ab iis, qui con-
 tinente inhabitant terram, et montanorum coloni alias om-
 nes mentis affectiones accepisse videntur, quam quidem illi,
 quorum domicilia in planicie soli sunt constituta. Parem vero
 quinimo vel insigniorem pro instruenda animorum indole esse
 cùm, istis notionibus et opinionibus tribuere licet, quas ho-
 mines ab incunabulis imbibere solent, quæ per inveteratam
 consuetudinem radices egerunt et sive veris sive erroneis prin-
 cipiis suffultaæ fuerint, ab una ad alteram gentis posteritatem
 transferunt, et in ipsa m ejusdem naturam abiisse videntur. Ne-
 minem sane philosophica quadam historiarum cognitione in-
 structum id fugere potest, quod Lycurgi præcepta, duriori
 omnino disciplina et rigoroso educationis genere suffulta, Spar-
 tanorum animos adeo bellicosos reddiderint, ut non regimen
 solum militare ad unum omnes in reipublicæ nervos penetraver-
 it, verum et integer populus Lacedæmoniensis rūdem illam
 ac ferociissimam prope naturam induerit, qua eundem per lon-
 gum temporis intervallum, a reliquis Græciæ gentibus, quas
 ex polita morum elegantia insignivit, penitus distinctum fuisse
 tenemus. Sic Romulum olim et post eum Numam Pompis
 lium

Ium religionis sanctitate et auguriis inde ex cogitatis ita felicitate in adornanda reipublicæ forma usos fuisse constat, ut populus romanus politicum quenvis et legalem regiminis sui statum immediate a Deorum manu constitutum fuisse sibi persuasum habuerit; quo facto non tantum incredibilis illa fiducia enascebatur, qua Romani singularem urbis Romæ tutelam a Diis directe suscepitam fuisse putarunt, verum et vituperabilis ille fastus indies altius electus est, quo cum contentu omnium reliquarum gentium, unam Romam totius Orbis terratum dominam olim futuram esse præfigerunt. Plura non deessent exempla quibus evinceretur, quantopere prævaleant naturales hominum inclinationes, vel in naturalem indolem conversa sensationum et opinionum argumenta pro flectendis ritibus, moribus, et ipsis legibus humanis, nisi metuendum foret, nos nimium a scopo nostro aberratueros esse, si paucis hisce quæ obiter saltem delibare potuimus, ulterius immoraremur. Sufficiat itaque ad minimum inde cognitum atque perspectum dedisse, quod omnis fere jurisprudentia philosophia in historiarum monumentis recondita sit, et quod maxima legum et consuetudinum pars ex indole gentium derivanda et ex primordiis illis rerum gestarum, sub quibus homines in statum civilem coahuere, tanquam ex fontibus suis sit repetenda. Historico hocce dogmate hic eo magis nos indigere censemus, propterea quod apud animum constituimus, in specimine nostro, quod Patronorum ac Eruditorum censuræ subjicere jubemur, de aliquo jure in foris patriis adhuc usitato differere, quod non nisi ex naturali quodam germanicarum gentium affectu deducendum

A 2

esse

MO,

esse arbitramur. Juxta instituti nostri rationem enim, privilegium illud peregrinorum, quod in foris nostris germanice das *Gäfrecht* (Jus hospitum) vocari convevit, ex antiquis germanicarum gentium ritibus in foris nostra immigrasse, demonstrabimus, et hodiernum ejus usum forensem in primis in Judiciis patriæ nostræ, pro virium modulo illustrare conabimur.

SECTIO I.

Germanicæ originis gentes quovis tempore in peregrinos humanas ac hospitales fuisse evincitur.

§. I.

Vetustissimi scriptores romani in rerum et gentium germanicarum notitia versati, id unanimiter testantur, non fuisse ullam nationem magis in peregrinos humanam ac hospitalem quam quidem Germanos, et hanc eorum φιλοξενίαν nec levibus encomiis extollere solent. Sic Julium Cæsarem (a) de Germanis prædicantem legimus: "Hospites violare fas non putant, qui quaque de causa ad eos venerint ab injuria prohibent sanctosque habent: iis omnium domus patent, vicitus que communicatur." Adhuc meliorem in modum Tacitus (b) præstantissimam hanc Germanorum virtutem describit.

"Hospiti-

(a) Jul. Cæs. de bello gall. Lib. VI. Cap. XXIII.

(b) Tacitus de morib. German. Cap. XXI.

viverum est fuisse gentes magis hospitales quam germanos, thespiae, quam
professi, paffi. Atque ergo.

Prob. min Aragonum solum Roffinum ^{affine} suscipiunt, sed etiam donis expon-

nant, ~~et~~ que ipsi ferocius

MO,

verum est, Romanoſ truppe ſe eorum erga victoriam etiam
reparata, hec afferum illud quod p. c. - propter falſum est. s. q.
Prob min. E. g. Paff cladem illam Lintili Varii quam inſigniter
minicis frigis ſemeſ ſcritia in efto capto relictis ipofci
deftatur. Belli. Patent. c. Flory Flor. IV, 12. Vellg. II, 118

Si verum est melior conjectura, unde fit eporta hec erga peregrinos
Germanorum proprieſio, ita reſienda. Atque in eodem quan-
Prob min. Romiam ipſi non erant sed ex constituta ſed ipſe
vaga & nō in uno loco conſiderat sed ſep̄ in migratiōne per alia bracca eadē
nō ſemper, atq̄ inter multo hospitaliores eſſe, quam aliq.
ut Arabe, Turkos & habebit. Inde enim et quoniam alii
pro poffit, ut hospitie, qui tamen plerisque ipſi ex gente Germanica
rendi in domicilia recuperentur, hec erga hospitie proprieſio in
vari obet.

„Hospitiis“ ille ait, „non alia gens effusius indulget. Quem-
 „cunque mortalium arcere tecto, nefas habetur; pro fortuna
 „quisque adparatis epulis excipit. Quum defecere qui modo
 „hospes fuerat, monstrator hospitii et comes: proximam do-
 „mum non invitati adeunt; nec interest, pari humanitate excipi-
 „untur. Notum ignotumque quantum ad jus hospitii nemo
 „discernit. Abeunti si quid poposcerit concedere moris &
 „poscendi invicem eadem facilitas.“ Conjecturas quidem
 spargere, vix quidquam ad evincendam veritatem condu-
 cit; si tamen dicendum est, quod e re esse arbitramur pro
 explicanda excellenti hac animorum propensione, quacum
 Germani post hominum memoriam humanitatis tenacissimi
 fuisse perhibentur, principaliorem sane hujus virtutis scaturigi-
 nem in frugali vita genere et in simplicitate morum reponen-
 dani esse putamus, quibus Germani a tenerima inde xstate as-
 sueti et innutriti, nec luxum et avaritiam noscebant, nec reli-
 quis istis vitiis conspurecati erant, q uæ socialitatis vincula rum-
 punt et omnia humanitatis et amicitiae sensa suffocare solent.
 Etiamsi enim haud raro relatum legimus, Germanicas gentes ad
 arma adversus hostes ferenda non faciles solum et prinos fuil-
 se, verum et in ipsa belligeratione fævitiam magis quam forti-
 tudinem ostentasse, id tamen paulo indignius ipsis obtrusum
 esse videtur, cum certe victoria reportata ultra prælrium non
 fævierint, et victos non modo servaverint, verum etiam ple-
 rumque in civitatis suæ societatem recipere conservaverint. Ve-
 hementius illud odium autem, quo Germani hostes suos du-
 rante bello prosequabantur, minime discordat ab eorum tener-

rimo humanitatis affectu, propterea quod hostes ab iis instar infestissimorum societatis et tranquillitatis humanæ perturbatorum considerati, non nisi plenaria exsirpatione digni habiti fuerunt.

§. II.

Posteaquam germanicæ originis gentes in frequentiora consortia et in viciniam Romanorum aliorumque cultiorum populorum venerunt, pariter non legitur (c) easdem liberalem ac socialem nationis suæ naturam exuisse. Nec ingratii erant in eos a quibus bene excipiebantur, nec temere hospitia denegabant ad se confugientibus, et non leve probatae Germanorum humanitatis ac fidei documentum esse videtur, quod ab illo in primis tempore, quo Valens Imperator domicilia iisdem et possessiones in Thracia concessit, plures eorum ob famæ integritatem animique humanitatem, ad summa munera ac dignitates penes aulam romanam æque ac apud exercitum admissi atque promoti fuerint. Subsecutis non multo post gravioribus illis revolutionibus, quæ migrationes gentium vulgo nuncupari solent, frequentiores indies Germani occasionses nacti sunt ad exhibenda ingenuæ indolis suæ specimina. Triplex potissimum ab hoc tempore pro larga Germanicarum gentium erga peregrinos humanitate, in historiis militat argumentum. Primum enim

(c) de Visigothis et Ostrogothis id observavit Hertius notit. veter. Germ. pop. Part. III. Cap. VII. et idem ex scriptoribus antiquis, quos Melch. Goldastus in script. rer. Alleman. Tom. I. collegit, abunde constat.

enim constat, easdem felicissimos inter armorum et invasio-
num progressus nusquam ita immanes fuisse, ut devictos sub-
aclarum terrarum incolas in servitutem redegerint; sed ut plu-
rimum fere legimus, debellatas gentes vel inita pace in civita-
tis societatem receptas, vel stipulato solum per earundem terras
transitu, amicitiae foedera devinctas redditas fuisse (d). Deinde
nec mos erat gentibus germanicis patria expellere vel agro mul-
ctare viatos, sed partem tantum sibi poscere, reliqua dominis
relinquere sub lege annui vestigialis. Sic tributarios Thurin-
gos fecit rex Chlodovaeus, et Burgundos agrum quem in Gal-
lia occupaverant cum Gallis senatoribus divisisse refert Marius
Aventinensis (e). Simile fuisse institutum Visigothorum, Ostro-
gothorum ut et Longobardorum, e pluribus exemplis obser-
varunt rerum germanicarum Scriptores (f) et nullum fere du-
biū est, quin idem fecerint Franci, quando in Gallia sibi no-
vas sedes quāsiverunt; adeo ut et hi parte agrorum sibi vindica-
ta, parte Gallis relīcta, illis imunitatem dederint, his saltē
tributa imperarint. Tertio tandem loco laudem inde non po-
stremam reportarunt germanicæ originis gentes, quod unicuique
populo devicto suas leges suosque mores patrios reliquerint,
adeo ut apud Gothos, Francos, Burgundiones, et Longobar-
dos unus lege romana, alter salica, alii longobardica, bur-
gundica,

(d) Procop. de bello Goth. Lib. III. Eginhard, vita Caroli M.
Cap. VIII.

(e) In Chronicō apud du Chesne, Tom. I.

(f) Hertius notit, veter. germ. pop. Part. III, Cap. VII, et IX.

gundica, gothica vel alemannica vivere potuerint (g) nec ullus cogeretur legibus gentis vetricis sese subiicere, dumne aliquid quod pietati repugnare videbatur, admitteret.

§. III.

Parem quoque humanitatēm ingenitam fuisse gentibus germanicæ nationis borealibus, plura historiarum monumenta testantur. Memoratu dignum est, quod de Sionibus refert Adamus Bremenensis (h) „iis omni probro gravius videri, hospitium denegare transeunti, ita ut certamen habeant inter se, quis dignus sit hospitem recipere. Ei illos omnia exhibere humanitatis jura, quot illuc commorari velit diebus, ad amicos suos illum certatim per singulas dirigere mansiones.“ Quinimo ex pluribus veterum Capitularium et legum germanicarum fragmentis luculenter patescit, non soli cuiusvis virtuti relictum fuisse hospitalitatis officium, ut solent alia quæ officii magis et mera voluntatis sunt quam necessitatis, sed multa etiam coercitos esse illos, qui minus hospitales essent. Argumento esse potest notabilis quedam lex burgundica, qua sanctum fuit, ut quicunque hospiti venienti tectum aut forum negaverit, trium solidorum inflatione mulctetur. Præ reliquis omnibus autem severiores fuisse perhibentur Gothi, utpote apud quos ædes eorum, qui viatores tecto ter arcuisse comperti essent, ex legis præscripto incensas fuisse tradit Io.

Mag-

(g) Vid. Cel. I. G. Heinecii hist. iur. civil. Lib. II. §. XV. seq.

(h) In libello de Daniæ situ.

Magnus (i), et similia sere sunt quæ plures medii ævi scriptores de gentibus borealibus in hac materia collegerunt exempla (k). Minime quidem diffremur, miram hanc Germanorum humanitatem, exigente id rerum ac circumstantiarum necessitate, arctioribus aliquando limitibus circumscrip̄tam fuisse, neque ignoramus, pra adventiis et peregrinis, semper aliquam prærogativam Germaniæ civibus propriam mansisse, neque inficias ire possimus, severioribus nonnunquam legibus coercitos, ac durioribus obligationibus vinculos fuisse peregrinos, qui extra patriam, inter Germanos fortunam experiri et lares sibi consituere voluerunt, quarum coercionum vestigia adhuc hodie in exemplis plurimorum Germaniæ jurium deprehenduntur; veruntamen ea omnia haud impedimento fuerunt, quo minus inusitatæ humanitatis fama, de germanicæ nationis gentibus per omnem sere Europam percrebuerit.

§. IV.

Non omittenda tandem sunt ea, quæ de moribus veterum Prussiæ incolarum, in exhibendis hospitiis, ab historiographis commemorantur. Ipse Adamus Bremensis (l), qui cæteroquin barbariem Prussis graviter exprobrare non hæsitat, id tamen in laudem eorum reticere non potuit, „quod Semlan-

B „diam

(i) Io. Magnus histor. Goth. Lib. IV. Cap. I.

(k) Ut videre est in Io. Loccenii antiquitatibus Sveo gothicis, Lib. II., Cap. XXII.

(l) Lib. de Daniz situ, No. 77.

„diam inhabitent homines humanissimi, qui obviam tendunt
 „ad auxiliandum iis, qui in mari periclitantur vel qui a pyra-
 „tis infestantur.“ Pariter Helmodus (m) Prussos appellat ho-
 mines multis naturalibus bonis præditos, humanissimosque
 erga necessitatem patientes. Plura ac similia fere testimonia ex
 Erasmo Stella (n), Cromero (o), Hennebergero (p) et aliis
 adduci possent; sufficiet tamen ad unum adhuc et cordatissi-
 mum prope Prussiæ scriptorem nempe Petrum de Duesburg
 provocasse. Is hospitalem veterum Prussorum indolem sequen-
 tibus verbis describit: (q) „Hospitibus suis omnem humanita-
 tem quam possunt ostendunt, nec sunt in domo sua esculenta
 „vel potulenta, quæ non communicent eis illa vice. Non vi-
 „detur ipsis quod hospites bene procuraverint, si non usque
 „ad ebrietatem sumpserunt potum suum. Habent in consue-
 „tudine, quod in potionibus suis ad æquales et immoderatos
 „haustus se obligant, unde contingit, quod singuli domestici
 „hospiti suo certam mensuram potus offerunt sub his pactis,
 „quod postquam ipsi ebiberunt et ipse hospes tantudem eva-
 „cuet bibendo, et talis oblatio potus toties reiteratur, quous-
 „que hospes cum domesticis, uxor cum marito, filius cum fi-
 „lia omnes inebriantur.“ Quamquam hæc hospitorum pru-

theni-

(m) Helmodi Chron. Slavorum, Lib. I. Cap. I.

(n) Er. Stella antiq. Boruss. in acti boruss. Tom. I. p. 125.

(o) Mart. Cromer de ortu et reb. gesl. Pol. Lib. III.

(p) Henneberg im alten Preussen, Fol. 19.

(q) Pet. de Duesburg Chron. Prussiæ, Part. III, Cap. V.

thenicorum delineatio minus quidem ad virtutem inclinatos mores, quam rudem potius et ab omni disciplina remotam consuetudinem prodere videatur; non omnino tamen ceu turpia despicienda esse arbitramur ea, qua hilari magis animorum indoli, et gaudiis cultiori regimini haud assuetis, quam feræ morum barbarie noxiæ libidini tribuenda sunt. Si enim experis incivilem illum sese ineibriandi morem, quem pluribus germanicæ originis gentibus communem suisse scimus, et in cuius rationes hic indagare nostri non est negotii; extra omnem sane dubitationem positum est, quod humana et hospitialis veterum Prussorum natura, æque ac cordata amicitia et integratatis tessera, ex liberali ejusmodi peregrinorum hospitatione, in non fucata sua simplicitate cognoscantur.

SECTIO II.

Privilegium peregrinorum forense, quod sub nomine juris hospitum venit, ex humana et hospitali Germanorum indole derivandum esse colligitur.

§. V.

Præmissis jam iis, quæ socialem ac hospitalem veterum Germanorum indolem demonstrant, argumentis, non difficulter inde colligendum est, quod una cum pluribus quæ ex nationis germanicæ ingenio propullularunt consuetudinibus atque

præceptis, jus etiam singulare, quod hospitum seu peregrinorum causas judiciales a prolixiori juris strepitu in foris Germania defendit, ex pari hujusmodi per naturam ingenito Germanorum affectu originem trahere potuerit. Quia quidem propositio cum scopum dissertatione noster quam proxime contingat, ante omnia genuinum nos stabilire oportet conceputum de jure illo, quod hospitibus proprium esse dicitur et ea propter germanice das Gasterecht nuncupari consuevit. Intelligimus itaque sub hac denominatione Privilegium aliquod forense, in favorem hospitum seu peregrinorum introductum, ut cause corundem judiciales intra brevissimum quo fieri possit temporis spatum, citra ordinarias litium ambages discutiantur. Hac definitio non solum cum sensu verborum, qua in legibus Saxonis (a) et in Jure Culmensi (b) leguntur, perconcinne eonspirat, verum etiam communis Doctorum opinioni de natura singularis hujus peregrinorum prærogativa exacte respon-

(a) Magdeburg. Fragen und Urtheile Dist. I. Cap. V. Part II. Magdeburg. Weichbild, Art. 26. Sachsenpiegel, B. III. Art. 78.

(b) Culm. Recht nach der letzten Revision und neuisten Ausgabe, B. II. Tit. 14. Cap. III. „Wäre es dann, daß ein Bürger einen Gast anspräche und beklagte, oder ein Guest einen Bürger um Schuld mit Beweise, so mag man das zur Stunde wohl richten;“ et Cap. IV. „Klaget jemand zu Gasterecht, dem soll man Rechts verhelfen über quere Nach.“ Alt Culmisch Recht 1584. B. II. Cap. 57. „Ayne Gaste sal man Ytages richten ab her is begerrt. Clagit eyn wegeferig Guest obir eynen andern Guest, adic obir eynen Bürger, deme sal der Richter obir eyne Boten an ayne Tage drey stund zu rechtir antwoorte gebhyten re.“

respondet (c). Non dubitamus enim privilegii favorabilis nostram ipsi imprimere, propterea quod non modo certum personarum genus commoda inde percipere, verum et exceptionem a communi in foris procedendi regula eidem inesse intelligitur. Quemnam temporis terminum benignitas legum in exercitio hujus juris præfiniverit, exæste quidem ad unam eandemque normam, in quovis causarum atque judiciorum genere determinari nequit, usus tamen et obseruantia pariter ac legum provincialium interpretationes ad unam omnes in eo prorsus coincidunt, quod impium visum fuerit majoribus nostris, peregrinos longo litis tractui immergere, eamque ob rationem, ut causa eorum recisis quibusvis in modo procedendi ambagibus, brevi quantum fieri potest temporis intervallo terminentur, præceperint. Proinde nec una eademque explicatio verborum *queere Nacht et Ytages* ab omnibus in medium profertur, licet generalem restringendi temporis significatum iisdem inesse omnes confiteantur. Alii enim per *queere Nacht* intelligi volunt, quod non post noctis interstitium partibus jus dicendum esset (d); vel ut nonnulli malunt, *antequam prima nox cessat* (e), *Ytages*

B 3

(c) I. H. C. de Selchow elementa Jur. Germ. Lib. V. Cap. I, §. 668.
et Antores ibidem citati.

(d) Jus Culm. latin. ex revis. Neofor. Lib. II. Cap. 40.

(e) Preuß. Sammlung 2ter Band: *Vom Gæstrechte in beyden Preußen*, Pag. 321. in fin.

ges autem cundem ipsum diem denotare arbitrantur. Alii (f) loco queere Nacht, olim Dwernacht sive Twernacht etiam scriptum fuisse ostendunt, et over de Dwernacht significare censem spatiū viginti quatuor horarum; unde et alibi scribitur binen daghe und nacht, nec non ofde hude ofde morgen: imo neque defunt conjecturæ, quod Dwernacht generatim denotaverit tempus legitimum pro defensione facienda; et ex codice quodam antiquo juris Vandalico-Rugiani verba adferuntur: Dwernacht is 14 dage, twe dwernacht is 4 weken. Quamquam vero evidenter appareat, postremum huncce significatum in materia nostra admitti non posse, faciliori tamen negotio ex differentiis istis circa explicandam veterem Germanorum terminologiam perspicitur, pro definiendo termino judiciali in causis peregrinorum præfixo, ad observantiam et praxin provinciale magis quam ad ambiguam DD. explicationem recurrentum atque provocandum esse;

§. VI.

Pro confirmando sententia nostra, quod memorata hospitum prærogativa, ex hospitali veterum Germanorum indole progerminaverit, non leviter pugnant longe usitati Germanorum ritus et mores, quos quidem fidis historiarum documentis

tis

(f) Ill. Gerñ. Oelrichs Glossar, ad statuta Bremensia antiqua: sub voc. Dwernacht add. Jur. statutariis copiose et erudite ibidem explicatis.

tis ab omni objectione liberare supra solliciti fuimus; Quum itaque primitiae legum germanicarum in meritis consuetudinibus contentae et opere cantuum vel carminum memorie mandatorum propagatae fuerint (g), nullum omnino dubium est, quin veteres Germani peregrinarum legum atque doctrinarum penitus expertes, puras naturae regulas sectati sint et ad ductum ingenitae ipsis indolis internorumque animi sensorum, consuetudinarias suas leges adornaverint. Summopere autem asserti nostri veritatem ipsis legum conscriptarum testimoniosis suffultam esse arbitramur, posteaquam nimirum consuetudines germanicae in formam collectionum redactae, i codicum juris patrii instar sub medio aeo prodire cecperunt. Si quidem enim demonstrari potest, in antiquissimis legum germanicarum collectionibus largam jam mentionem fieri istius juris, quod hodierna foras sub nomine *Gastrecht* tanquam privilegium forense peregrinis concessum agnoscunt, prono alueo inde fluere perspicitur, quod origines memorati juris ad primitivas germanicarum gentium consuetudines, indoli ac naturae earundem conformes retrotrahi debeant, et neque novioris inventi esse, neque ex unius alteriusve gentis statutis specialibus derivari queant. Jam vero Speculum Saxonum et Weichbildum Magdeburgicum, atque ac Speculum Svecicum seu Allemannicum, quæ sane collectionum genera per omnem historiarum fidem pro primis ac vetustissimis legum germanicarum compilationibus habentur, plura

et

(g) Crelili Diff. de primitiis legum poeticis Vitemb. 1725. Her-
iii notit. veter. Germ. pop. P. I, Cap. IV, §. 6.

et copiose satis exposita capita, quibus de jure hospitum seu de iis hoc peregrinorum privilegio sanctum est, in se complectuntur: hinc citra omnem erroris metum concludere licet, quasvis hujus generis dispositiones ex jure Germanorum consuetudinario et ex originariis ad eorum indolem referendis moribus promanasse, donec sub genuina legum forma, compilationis hisce collectionibus insertae fuerunt. Vir quondam celebrimus qui nostræ Musarum sedi ornamento fuit, *Hanovius*, sollicite et multa cum accusatione ex juris Saxonici vetustis compilationibus, plures earum sanctionum quæ de memorato peregrinorum privilegio disponunt in unum collegit (h), et eruditæ ad easdem commentatus est; quo facto simul cognoscitur, quod veteres Prussiarum incolæ eo faciliores ad recipiendas Saxonum leges in hac materia sese præbuerint, quo magis iidem, ob insitam germanicæ originis gentibus naturam, ad humanitatem erga peregrinos assueti atque proclives fuerunt. De Speculo quidem Suevico licet adhuc sub judice lis est, num illud revera extiterit (i), annon potius ipsum nomen pro commentatio habendum sit, cum ostendi non possit, esse illud in Svevia aut ex Svevorum moribus collectum, auctor quoque et tempus compilationis certis documentis probari nequeant, tantum hic saltem monuisse placebit, quod in eodem plures pariter sanctiones de jure peregrinorum seu hospitum occurrant, et quod

(h) In supra citata commentatione vom Gæstricht in behden Preussen.

(i) de Selchow prolegom. ad jus German. §. 32. Ejusd. Juristische Bibliothek, B. III. St. IV. Pag. 747.

neque nomen neque usum hujus privilegii ignorent illæ Germanorum provinciæ, quæ leges suas ex Alemannico jure hausisse censemuntur, quemadmodum inter recentiores Cl. Koppius (k) eleganter et pererudite enucleare sollicitus fuit.

Alterum argumentum pro corroboranda thesi nostra, ex ipsa denominatione memorati peregrinorum juris evineendum esse putamus. Absonum sane foret judicasse, quod vox hospitis & vocabula *Gæste*, *Gastrecht* et *Gastgerichte*, quæ utramque fere paginam veterum Germania Codicum in hac legum materia adimplent, alias fortasse significatus admiserint, quam qui advenarum seu peregrinorum statum designant. Disertis eisim verbis denominatio*n*is istæ toties repetuntur, ut vel maxime sub quibusvis causarum et rerum circumstantiis, differentiam inter peregrinorum et civium seu incolarum conditionem iisdem indicatam esse perspiciat. Abunde etiam constat, sorensem hanc Germanorum distinctionem apprime concordare cum conueta eorum ac domestica fere in peregrinos humanitate: proinde non est quod dubitemus, memoratum istud privilegium in favorem hospitum seu peregrinorum originarie conceptum fuisse, et ex ipso ejus nomine antiquitus usitato satis perspicuum reddi, quemadmodum illud a naturali charactere nationis germanicæ omnem in foris auctoritatem accepe-

C rit.

(k) Carl Phil. Kopp Nachricht von Verfassung der Gerichte in den Fürstl. Hessen Casselschen Landen, 3tes St.

rit. Haud quidem ignoramus, recentiori ~~ævo~~ alia adhuc nomina invalidisse, quibus jus nostrum nonnunquam in foris compellari solet, ast facile ad existimandum erit, hujusmodi denominations, quarum nulla certe vestigia in antiquis Germanorum codicibus deprehenduntur, successu demum temporis adinventas, et vel ab analogia juris vel a commutato quopiam usu forensi mutuatas fuisse, quemadmodum hoc ex principiis in medium prolatis, infra ulterius demonstratur sumus. Sic ill. de Sahme (l) observavit, quod jus nostrum de quo disputamus, in Prussia foris nonnunquam *ein unverzogen Recht* appellari soleat, propterea quod ob mora periculum processus litis in longum tempus protrahi prohibetur; et a Celeb. Koppio (m) memoratum legimus, idem illud peregrinorum privilegium quondam in terris Hassiacis sub nomine *Kaufrecht*, aut *gekaufte Gerichte* innotuisse, quia moris fieri cœpit ut a mercatoribus non solum aliisque incolis in procinctu itineris constitutis, verum et a quibusvis fere civibus honoratioribus, summaria hæc processuum genera certo argenti pretio redimerentur, unde sensim sensimque perniciosus ille abusus in foro immigraverit, ut pro qualibet celeriori causarum discussione judicia certam pecunia summan stipulata fuerint; quapropter ad extirandas hasce legum defraudationes circa medium fere Sec. XVI. impius ille judicia cœmendi medus, funditus abrogatus esse intelligitur.

§. VIII.

(l) R. S. von Sahme Einleit. zur Preuß. Rechtsgelehrtheit, B. IV.
Th. I. Tit. I. §. 5.

(m) Kopp. loc. cit. et Selchow juris. Bibl. B. III. p. 734 seq.

Institutio Romana

Omnem denique tractationem nostram incassum in
metueremus, si ex Romanorum legibus demonstrari posset, si-
mile aliquod beneficium in Corpore Juris constitutum, et in
gratiam peregrinorum olim in foris Romanis observatum fuisse.
Tum enim dubitandum foret, nunne magis apposita obtineret
argumentatio, communem penes Romanos cum Germanicæ
nationis gentibus in peregrinos affectum atque favorem inva-
luisse, adeoque cum reliquis extranei juris capitibus hujusmodi
etiam peregrinorum privilegium in foro nostra transisse. At
nendum quod omnis reipublica romanæ politia et exactissima
juris quiritarii custoditio, insigniori ejusmodi alienigenarum
prærogativa adversissima fuerit; ipsa etiam leges Romanæ, quæ
discrimina juriuum inter cives et extraneos docent, decus sere
et ornamentum civitatis in eo positum fuisse ostendunt, ut pe-
regrini ab honoribus atque muneribus non solum exclusi, ve-
rum etiam unoquoque juriuum favore orbati censerentur. Nul-
lum itaque exstat juris romani præceptum, unde vel per simi-
litudinem tantum conveniens quadam cum privilegio nostro
dispositio extorqueretur, et loca, quæ b. Gothofredus (n) in
annotationibus suis ad I. I. C. de heredibus instituendis &c. sol-
licite in summam collegit, quam luculentissime exponunt, mi-
seram potius et in contemptu habitam, quam favorablem vel
auctoritate donatam fuisse peregrinorum in civitate romana con-
ditionem. Proinde et ab hac argumentatione, si per contrarium

C 2

con-

(n) Corp. Jur. Civ. cum not. et ex edit. Dion, Gothofredi J.Cti.

concludere licet, thesin nostram non minimum robur accipere evidens est.

SECTIO III.

Privilegium peregrinorum forense recentiori quidem aetate duplex juris fundamentum in foris obtinuisse censetur.

§. IX.

Posteaquam veteris praerogativa peregrinorum forensis originem et indolem ex principiis maxime historicis epucleare conati sumus, ea brevissimis adhuc recensenda restant, que circa hodiernum hujus privilegii usum in foris germanicis et patriis vel immutata vel servata esse deprehenduntur. Quod ad ipsum hospitis, peregrini seu extranei vocabulum attinet, in determinando ejus significatu, majores nostros aliquando vacillasse meminit illustris quondam et juris patris Confultissimus Lengnichius (a): vim autem et significationem hujus vocis per communem observantiam adeo stabilitam ipsisque legibus mutantam (b) esse arbitramur, ut hospes seu peregrinus partim a

(a) G. Lengnich's Geschichte der Preuß. Lande Königl. Pohl. Anhells, 3ter B. P. 469.

(b) Magdeb. Fragen und Urtheil, Th. II. Cap. V. Diss. 3. „Hier „auf sprechen wir für Recht, wer in einer Stadt Jahr und Tag „wohnhaftig ist, und anders in keiner Stadt besessen, der soll Rechte „haben gleich einem andern besessenen Bürger, und nicht nach Gast- „recht. B. R. B.“

cive, partim ab inquilino apud nos distinguedus sit et in sensu forensi unumquemque eum designet, qui neque domicilium neque forum in eo loco habet, quo lis judicialis ipsi discutienda occurrit. Quanquam enim ab hac arbitrii Saxonici regula hinc inde exceptiones factas fuisse legamus, quod vel propter viciniam locorum et commerciorum communionem (c), vel per modum conventionis alienigena in causis judicialibus non nunquam indigenis aequiparati sint, minime tamen inde colligendum est, genuinum quem definitivius peregrinorum conceptum tali ratione prorsus fuisse sublatum. Primo enim hocce et originario quidem fundamento Jus nostrum ubique superstructum mansit, ut hospitum conditio in foris ceu privilegiata consideraretur. Ob paritatem rationis quoque, peregrinus sive actor sive conventus esset, lis ejus judicialis ad normam hujus privilegii fuit decidenda, et ab ejusmodi status extraneorum explicatione hodiernam praxin nostram haud recedere experientia docet. Nihilo tamen secius mox novam aliquam ni fallitur ex aequitate quasitam rationem accessisse, juxta vetustarum legum tenorem observatur. Sine dubio media jam atare civibus istis, qui vel commerciorum suorum, vel piarum peregrinationum causa, ad prosecutionem accincti essent, lege concessum fuit, ut statum judicij diem exspectare non tenerentur, sed si iter juramento comprobatum fuerit, jure hospitum fruerentur, et eodem ipso die in jus ire possent Legalem

C 3 *enim*

(c) Tali ratione in foro Gedanensi, suburbiorum juxta urbem sitorum inquilinos a privilegio forensi exclusos esse legimus in Ordinat, Judic, Gedan. Art. 3:

enim hujusmodi dispositionem expressis verbis in Veteri Jure Culmenſi (d) sanctam legimus, et mos inde frequentior indies invaluisse videtur, ut peregrinationes religionis vel mercaturæ causa absque mora instituenda, civibus et inquiliinis in procinctu constitutis, privilegiatam peregrinorum conditionem in foris conciliaverint.

§. X.

Verum enim neque in extensiōri hac juris hospitium interpretatione usum forensem acq[ui]evisse animadvertisimus. Ex uberrimo pietatis seu æquitatis principio plures subinde explicationes progerminarunt, et sensim sensimque novum hujus privilegii fundamentum exsurgere coepit, quod ita se habet, ut quævis causæ judiciales e quarum longiori disceptatione periculum moræ verendum foret, juxta normam juris hospitium celeriori modo decidenda atque complananda essent. Hocce igitur fundamento nituntur nunc varia istæ, quas forum agnoscit beneficii peregrinorum significationes, et plures qui ex

(d) Alt. Culm. B. II. Cap. LI. „Clagit abir ein Burgir obir den andern, her sy beerbit odi nicht, adir uf einen Gast bussen Dinge stagen, dem sal der Richter bescheiden zu Dinge, alse recht ist. Spricht denne der Burgir zu dem Beelager, her sy wege fertig, her habe sich bereytet vmmre Kaufenschaft adir Betverbart zu varen, den bussen Landes, das her des Dinges nicht warten moge, und beweyset das uf den Hilgen, so sal man syne Antworte ntages nemen.“ huic sancto conformiter fere præcipitur in Lib. III. Cap. 97. et 147. et in Weichbaldo Magdeb. Art. LXXXI.

parte inde suborti sunt cum aliis juribus singularibus conflictus: hinc intellectu faciliora sunt ea, quæ de gliscente denominatio-
nem differentia supra monuimus (§. VII.); et hinc in exerci-
tio jurium ac judiciorum quæ Gastrechte et Gastgerichte vo-
cantur, praxin forensem in provinciis germanicis quam maxi-
me de origine hujus privilegii deflexisse animadvertemus. Par-
itaque ratione teste Besoldo (e) tenemus, quod Gastrecht in
Ducatu Wuertembergen vocetur prorogatio jurisdictionis fa-
cta, quæ tamen non nisi inter personas extraneas in peregrinis
locis admittitur, et in additionibus Dietherri legitur, moris
esse in Dicasterio Norimbergensi, ut die extraordinario sumti-
bus eiuslibet potentis jus dicatur, quod Gastrecht halten vo-
care amant, id quod prope conveniens esse perspicimus cum
veteri observantia forensi, quam in comitatibus Hassia ad cele-
riorem iustitiae cursum parata pecunia redimendum in usu fuisse
superius jam allegavimus (§. VII.) Lubecæ iterum et Rostochii
jus istud magis in favorem peregrinorum et commercantium
conceptum esse deprehendimus: sic enim Mevius (f), „Lubecæ,“
„ait, “et in aliis maritimis civitatibus pro iis (peregrinis) genus
„citissimi judicii receptum est, quod vocamus das Gastrechte,
„quo hospiti contra civem et vice versa, brevissimis præfixis
„terminis plerunque ad summum trium dierum, non nun-
„quam de die in diem, von einem Sonnenschein bis zum an-
„niedrigsten Tage lib. ondq. s. i. hauß ab 15 iij. j. in „dern,
(e) Ch. Besoldi Thesaurus practicus studio Ch. Lud. Dietherrns sub
voce Gastrecht, p. 293.

(f) David Mevii. Commissarii in Jus Lubecense, Lib. III; Tit. I. Art. I.
No. 52.

„dern, dictatur, nec sententia executio ulterius suspenditur. —
 „Non modo aequum sed et commerciis utile est, peregrinis cum
 „quibus ea coluntur, citissime jus dici, nec per longas moras
 „a commercandi voluptate absterreré.“

§. XI.

Supersedemus quidem pluribus, quæ diversimode stabilitum juris hospitum significatum indigitant exemplis; minime tamen prætereundum est, quemadmodum fora patria usum dicti privilegii hodie interpretari consvererint. Nullum omnino dubium obvenit, Prussiam olim cum reliquis Juris Culmeris sanctis, illas etiam leges, quæ de jure hospitum disponunt, juxta sensum moris antiqui receptas per aliquod temporis spatium retinuisse. Mutata autem temporis successu in Prussia potissimum orientali regiminis forma, revisis postea et publica auctoritate donatis legibus huicdum fere consuetudinariis et arbitriæ interpretationi subjectis, in meliorem quoque ordinem redacto processu judiciali, nomen juris peregrinorum pariter ac peculiaris in eodem procedendi regula paullatim in desuetudinem abiisse videntur, licet laudatissimus ille favor peregrinorum et commerciantium nullo modo subactus fuerit. Proinde in Jure Provinciali regni Borussiæ (g) generaliter sanctum legimus, ut litteræ quæ ad jus hospitum referri dicuntur, juxta normam processus summarii concipi et de simplici et plano disceptari debeant, termini iudiciales intra triduum prefigendi, nec sine urgente necesse.

(g) Verb. Land-Recht des Königreichs Preussen, Part. I. Tit. XIII.
 Pag. 31.

necessitate a Judice sint prorogandi; sub hospitum nomine autem non extranei solum, verum etiam regni subditi et incolæ comprehendendi sint, dummodo in ea urbe ubi lis decidenda est, jure civitatis non fruuntur: et in his quidem sanctis moderna etiam regni prutenici praxis consistit.

§. XII.

Prae reliquis omnibus autem quibuscum Jus Culmense communicatum fuit, Prussicæ civitatibus, perfectiorem fere et institutis majorum convenientissime accommodatam procedendi formam fora Gedanensis in causis peregrinorum hodienum observare amant. In Ordine Judiciario (h) hujus civitatis disertis admodum verbis enunciatur, quod illud extraneorum privilegium antiquitus præceptum et cum nomine suo ad nostram usque atatem translatum fuerit. Tali modo singula fere hujus juris capita in foris nostris servata, et originarium ipsius fundamentum minime destrunctum esse animadvertisimus. Quod ad integrum enim processus formam attinet, in citatione partium atque testimoniis, in libello actionis et in reliquis actis judicialibus, ut et in sententia ferenda ac definiendo eo quod per sententiam præstari debet, solemnia quævis ad normam juris hospitum zu *Gastrecht* determinari et expressis verbis a solemnitatibus processus ordinarii discerni solent (i). Citationes judiciales ultra noctis interstitium ueber queere Nacht non prorogantur, et pro termino ad satisfaciendum sententie, trinum noctis interstitium drey queere Naechte adjudicatur, quum regulariter inter ci-

D

ves

(h) Danz. gerichtl. Proces-Ordnung Msct. Cap. 25. Art. I. Das Gastrecht ist nicht ein neu absonderlich Recht den gemeinen beschriebenen Rechten zuwider, sondern bloß allein eine Kürzung und Einziehung des zwischen Bürgern gewöhnlichen Proesses und zwar in favorem zu schleuniger Abheftung und Beförderung des fremden Mannes, von Alters also verordnet, daher es auch den Zuhören bekommen hat.

(i) Per integrum plane processum termini zu Gastrecht Kläger, zu Gastrecht Beklagter, Urteil nach Gastrecht u. in actis judicialibus adhibentur.

ves quatuordecim dierum intervallum p̄finiti debeat. Favor hujus privilegii forensis solummodo extraneos sive peregrinos in utraque Actorum et Conventorum qualitate concernit, ea tamen ob rationis partatem facta extensione, ut civis qui ex mandato extraneorum cauas in foro defendit, unius ejusdemque privilegii in tali causa particeps fieri censeatur. Unica saltem datus ab usu et commodo hujus privilegii exceptio, in ipso tamen textu Juris Culmensis (k) fundata, quod nimirum hospes, aut accinctus itineri faciendo, si fundos et possessiones rerum immobilium petere seu lite sibi vindicare velint, neque extraneorum neque peregrinantur jure fruantur, sed statos judicij dies secundum consuetum juris ordinem obire et ordinarium procedendi modum eligere teneantur. Quia cum ita se habeant, extra omnem disceprationis aleam postum esse censemus, quod larga adhuc in foris nostris eorum principiorum copia detur, quæ ex veterum Germanorum moribus atque consuetudinibus pro stabilienda autoritate privilegii peregrinorum forensis, quod Gafrecht vocatur, eruere et illustrare op̄am dedimus.

§. XIII.

Ceteroquin pia vota precamur, ut Deus T. O. M. quævis patræ Civitatis publica et privatorum iura, in salutem et felicitatem ciuium ac extraneorum, sarta teatque habere et ab inimicis adversariorum infestationibus pro alma providentia sua quam clementissime defendere velit.


(k) Jus Culm. ex revis. heofor. Lib. II. Cap. 42.



ULB Halle
002 713 802



Glo,





EXERCITATIO HISTORICO-IVRIDICA

DE

PRIVILEGIO
PEREGRINORVM FORENSI
QVOD GERMANICE

S A S G a s t r e φ f
VOCATVR

QVAM

PRAESIDE

DANIEL GRALATH

I. V. D. EIVSD. ET HISTOR. PROFESS. P. O.
ET ATHEN. INSPECTORE

IN AUDITORIO MAXIMO

AD D. X. AVG. A. R. S. cclxxx.

PUBLICE DEFENDET

BALTHASAR IACOB GRODDECK GED. I. V. C.
STIPENDII FISCHERO - FERBERIANI ALVMNVS

ADVERSVS OPPONENTES

GOTTLIEB HVFFLAND GED. I. V. C.

GOTTFRIED ERNST GRODDECK GED. S. L. C.

CHRISTIAN GOTTLIEB DE SCHROEDER GED. I. V. C.

GEDANI,

TYPIS DAN. LUDOV. WEDEL, MAGNIF. SENATVS
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI,